



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tyrocinium Theologicum

Francolini, Baldassare

Herbipoli, 1710

§. 3. De sexto Decretalium, & aliis duobus libris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39295

Ecclesiasticis. In tertio libro de Rebus Clericorum & Ecclesiarum, & proinde etiam de honestate Clericorum, & de Sacramentis, quorum Clerici sunt ministri. In quarto libro agitur de statu laicorum, & proinde de iis, quæ ad Matrimonium spectant, & de iis, quæ ipsum antecedunt, vel sequuntur, vel comitantur. In quinto libro agitur de delictis & eorum pœnis. Allegantur Decretales hoc modo: C. *Etsi Judæos, de Judæis* hoc est, in Decretali, quæ incipit, *Etsi Judæos*: titulo de Judæis, vel sic *Extra, de Judæis, etsi Judæos*: hoc est, extra decretum Gratiani, tit. *de Judæis* in C. quod incipit *Etsi Judæos*.

§. III.

De sexto Decretalium, & aliis duobus.

4. **S**extus liber decretalium dividitur etiam in quinque libros & in eisdem Titulos, sed pauciores, nam quinque libri Decretalium continent Titu-

Titulos 185. Sextus vero decretalium habet titulos 77. Dicitur est sextus quia editus est post quinque libros Decretalium à Bonifacio VIII. an. 1298. Continentur autem hoc tomo variæ epistolæ Pontificum, nempe ipsius Bonifacii, aliorumque, qui inter Gregorium IX. Decretalium collectorem, & ipsum Bonifacium VIII. floruerant, & duorum Conciliorum Lugdunensium sub Innocentio IV. & Gregor. X. celebratorum sanctiones. Dividitur is liber sextus in quinque libros, & hi in titulos, & capita, quæ sic allegantur. Ex. gr. Cap. *Alma Mater, de sententia excommunicationis in sexto.* Additur ly *in sexto.* Ne cap. sexti hujus libri confundantur cum capitulis Decretalium Gregorii IX.

6. Clementinæ sic dictæ fuere, quod contineant Constitutiones Clementis V. qui Bonifacio prædicto successit, seu potius Constitutiones Viennensis Concilii sub hoc Clemente

te

te celebrati. Has quidem idem Clemens colligi curaverat. Quia verò morte præventus publicare non potuerat, publicavit Joan. XX. dictus XXII. ejus successor immediatus an. 1317. Hæc etiam pars juris dividitur in quinque libros, & in eosdem Titulos; sed pauciores; nam solum continet titulos 53. qui sic allegantur. Ex. gr. *Clem. Si furiosus, de Homicidio*, hoc est, in Clementina, quæ incipit *si furiosus*. titulo *De Homicidio*.

7. Extravagantes demum dicitur quinta pars Juris Canonici, quia ejus Constitutiones sunt extra priores quatuor partes, ex quibus totum Jus Canonicum conflatum fuerat. Dividitur autem ista collectio in duas partes, quarum prima continet viginti Constitutiones prædicti Joannis XXII. Secunda pars continet alias extravagantes in quinque libros digestas, quæ dicuntur comunes, quia sunt diversorum Pontificum. Illæ partis primæ sic citantur: ex. gr. *Extravag.*

Cum

*Cum ad Sacrosancta. de Sentent. excommu-
nicat. Joannis XXII. Aliæ verò secundæ
partis ita citantur. ex. gr. Extravag.
super Gentes, de consuetudine.!*

§. III.

*De horum Librorum auctoritate
& Interpretibus.*

7. **Q**UAMVIS autem ex his quinque partibus conflatum sit Corpus Juris Canonici; non omnium tamen par est auctoritas, nam quatuor posteriores partes continent decreta Pontificum, vel Conciliorum habentium vim condendi leges pro tota Ecclesia; decretum verò Gratiani continet ex parte SS. Patrum sententias, qui ut tales non habuerunt hanc potestatem. Præterquam quòd priores illas quatuor partes compilari jusserunt, & confirmârunt ipsi Pontifices, siquidem Decretales approbavit Gregorius IX. sextum Decretalium Bonifacius VIII. Clementinas Clemens V. & Joannes XXII. Decretum autem

L

Gra-